



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio vigesima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

providentia quoad custodiam à documentis extrinsecis. Unde & postmodum Abel occisus fuit à Cain, ut dicitur Gene. 4. Nec hoc est contra illud quod dominus dixerat quacunq; die ex eo comederis, morte morieris, quia hoc dicit prudens eum efficiendū de paradiso, & amissurum specialem Dei custodiam quam habebat. Et hæc est sententia Aug. lib. de quaestionibus novi & veteris Testamenti, ubi dicit sic, deniq; post peccatum potuit insolubilis manere si permissum illi esset edere de ligno vitæ.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum corpus Adæ fuerit passibile.
Tho. 1. q. 97. ar. 2. & 3. ad. 2.

Secundò quæritur, vtrum corpus Adæ fuerit passibile. Et videtur quod sic, quia quacunq; communicant in materia agunt & patiuntur mutuo, ut dicitur Gen. 1. Sed corpus Adæ communicabat in materia cum aliis, ergo poterat ab eis pati.

2 IN contrarium arguitur, quia passio magis ac magis facta, semper plus abiicit à substantia, & tandem inducit corruptionem, sed corpus Adæ fuit incorruptibile, ergo & impassibile.

3 **R**ESPONSI O. Passio proprie dicta, que est abiectione alicuius convenientis secundū naturam potest accipi dupliciter. Vno modo, ut inducit corruptionem cum effectu. Alio modo ut stat in limitibus passionis. Primo modo corpus Adæ non fuit passibile, sicut nec corruptibile durante statu innocentie. Secundo modo accepta passio duplex est. Naturalis, quæ consistit in sola abiectione alicuius convenientis, & animalis quæ est dolor ex præceptione læsivi. Si naturalis, sic fuit Adam vere passibilis secundū corpus, quia fuit in eo vera deperditio alicuius convenientis secundū naturam, quia patet quia pro statu innocentie necessarium fuit alimentum, cum homo haberet corpus animale indigens cibo, propter quod præceptum fuit primo hoi Gene. 1. Ex omni ligno paradisi comede. vñs autem alimenti solus est triplex, scilicet ad nutritionem, augmentum & generationem. In primis autem parentibus non fuit vñs alimenti ad augmentum, quia formati fuerunt in perfecta quantitate, nec fuisset solus ad generationem, tum quia tunc non comedisent nisi quotiens genuissent, quod falsum est, tum quia semen est aliquid decusum à toto corpore, non decideretur autem, nisi aliqua pars in totum corpus converteretur & alia decideretur. restat ergo, ut aliquis vñs alimenti fuisset ad nutritionem, sed nutritio est restitutio alicuius deperditi. ergo in corpore Adæ fiebat aliqua deperditio, & ita fuit in eo vera passio naturalis quæ est abiectione alicuius convenientis secundū naturam. Nec potest dici quod alimentum numeretur non ad restaurationem deperditi, sed ut prohiberet deperditionem fieri, quia alimentum sumptum vere convertitur in naturam nutriti, alioquin non fuisset principium augmenti in pueris. Augmentum autem non fit per naturam nisi vel per rarefactionem quæ non fuisset in augmento puerorum, vel per additionem materiam, ut visum fuit supra dist. præce. qu. 1. Si igitur de substantia corporis nihil deperderetur ante summptionem cibi, nec post & semper aliquid converteretur de alimento, oporteret necessario quod semper sequeretur augmentum quod non est verum, fuisset ergo in statu innocentie vera passio naturalis quæ est abiectione alicuius convenientis secundū naturam, nec tamen fuisset sequuta corruptio secundū totum, quia quod abiectionem fuisset, restauratum fuisset in eadē puritate per virtutem ligni vitæ confortantis ad modum optimæ medicinæ, ut dicit Aug. lib. de quaestionibus. no. & vet. test. & sic restauratum fuisset quod successisset ad vite continuationem quousq; transferrentur in statum glorie.

4 Si vero loquamur de passione animalis, quæ est dolor sensitivus proveniens ex perceptione læsivi. Sic in statu innocentie non fuit talis passio. Quod probatur primo ex dicto scripturæ Gen. 3. ubi dominus dicit mulieri post peccatum, & in penam peccati, in dolore paries. Et idem sentiendum est de aliis doloribus. Persuadetur etiam hoc tali ratione. pena non debet præcedere culpam, sed passio animalis quæ est dolor ex sensu læsionis pena est, ergo non fuit ante culpam. Et de hac passione, scilicet animalis intelligendum est illud quod communiter doctores di-

cunt hic, scilicet quod passio non fuit in tempore innocentie, non autem de passione pure naturali non inducente corruptionem quantum autem corpus Adæ in statu innocentie passibile esset prædicta passione, tamen præferuatur ne actu pateretur partim per rationem propriam, per quam poterat nociva vitare, partim per divinam providentiam quæ sic eum tuebatur, ut nihil occurreret ei ex improviso à quo læderetur.

5 **P**ER hoc patet solutio ad obiecta.

Sententia huius distinctionis. xx. in generali & speciali.

Post hæc videndum est, &c. Superius determinavit Magister de statu primi hominis quantum ad immortalitatem. Hic vero determinat de statu eius quantum ad speciem multiplicationem. Et dividitur in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo determinat finale statum quem homo tunc habiturus erat. Secunda ibi, talis erat hominis institutio. Prima dividitur in duas. Primo determinat modum generationis in primo statu. Secundo inquit generatorum conditionem. Secunda ibi, si vero quæritur. Prima dividitur in tres. Primo inquit & determinat generationis modum. Secundo generationis locum. Tertio generationis terminum. Secunda ibi, cum ergo non. Tertia ibi, determinatio vero. Secunda vero in qua inquit generatorum conditionem, dividitur in duas. Primo inquit qualitatem eorum. Primo quantum ad corpus. Secundo quantum ad animam. Secunda ibi, Et cum de corpore humano. Prima dividitur in quatuor. Primo movet questionem suam. Secundo ostendit eam esse dubitationem. Tertio eam determinat. Quarto circa determinata opponit & solvit. Secunda ibi, & super hoc Aug. Tertia ibi, Sed cum Aug. Quarta ibi, ad hæc autem opponitur, & hæc est sententia & divisio lectionis in generali.

2 IN speciali vero sic procedit & proponit primo inquirendo qualiter & quales filios primi patres generaliter. Et dicit quod quidam opinati sunt quod concubitus non potuisset esse generatio, quia concubitus non est sine corruptione quæ ante peccatum in homine esse non poterat. Sed Magister dicit quod secundum veritatem per concubitus ibi fuisset generatio, & thorus immaculatus, & comitatio sine concupiscentia, & vñs membrorum sine corruptione, sicut homo vñtur aliis membris. Postea quærit, quare in illo tempore non fuit generatio in paradiso facta. Et respondet quod hoc fuit, quia Deus nondum præceperat, vel quia statim post mulieris formationem peccatum secutum est, & eiectione de paradiso. Postea quærit qualiter post generationem primi parentis ad perfectam immortalitatem transierit, & dicit quod hoc est dubium. Potuit enim fieri, ut perfecta generatione transferrentur statim parentes antequam filii, & forte omnes simul perfecti nullo modo electi. Postea quærit quales filios homo genuisset quantum ad corpus, vñrum scilicet statim in sua naturitate habuisset perfectionem futuræ, & perfectum vñm membrorum. Postea dicit quod propter vñm matrum necessitatem videtur esse dicendum quod parvuli nascerentur. Sed poterat deus supernaturaliter in eis cooperando statim in ipsa natiuitate perfectum vñm membrorum dare, sicut & aliquibus animalibus dat perfectum vñm membrorum. Postea respondet quod parvuli nascerentur, ut modo non ex culpa, sed ex conditione naturæ, sicut & cibo indigebant ex conditione naturæ. Et obicit in oppositum, quod non indigebant alimonia, quia poterant sine peccato non comedere. Sed si non peccarent, viverent, ergo non indigebant quod de ligno vite comederent. Et respondet quod non solum peccassent, si de ligno vitæ comedisent: Sed etiam si concessis non vñrentur, quia de vñroq; præceptum fuit. Item contra rationem naturalem, & appetitum facerent si de illis non ederent. Opponit etiam quod non indigebant cibo, quum fames sit pena peccati, ergo nec ibi fuit, & sic cibo non indigebant. Et respondet quod indigentia cibi fuit, sed non indigentia pœnalis. Postea inquit qualitatem generatorum quantum ad animam. Et dicit quod supponendo, vel sustinendo quod parvuli nascerentur, sicut satis potest concedi quod imperfecti essent in cognitione, tamen ista ignorantia naturalis esset, &

& non pœnalis, eo quod non esset respectu eius quod scire tenerent: tunc vltimo dicit per quod meritum obedientie translati fuissent ad illum statum, vt aeterno bono fruereutur. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum in statu innocentie fuisset generatio.

Tho. 1. q. 98. ar. 1.

Circa distinctionem vigesimam queritur primo, vtrum in statu innocentie fuisset generatio. Et videtur quod no, quia delectatio actus carnalis generationis absorbet iudicium rationis, & istud non potuit esse in statu innocentie, quia importat peruersitatem ordinis virium animæ, ergo &c.

2 Item semen est superfluum alimenti, sed in statu illo non fuit aliqua superfluitas, que sonat in malum, ergo no fuisset semen, nec per consequens generatio, que fit per commixtionem seminum.

3 IN contrarium est quod dicitur Gene. 1. Crescite & multiplicamini: sed multiplicatio per eos esse non potuit absq; generatione, ergo &c.

4 Itē mulier facta est in adiutoriu viri, vt dicitur Gen. 2. sed non aliud opus, nisi ad generationem, que est per coitum: ad quodlibet enim aliud opus conuenienter iuari potest vir per virum, quam per mulierem, ergo &c.

5 **R**ESPONSTIO. Dicenda sunt duo: primum est, quod in statu innocentie fuisset generatio sicut nunc per commixtionem sexuum & seminum: Secundum est quod quotiens conuenissent, totiens genuissent.

6 **P**RIMUM patet, quia in quibuscumq; inuenitur generatio similis ex simili secundum speciem hoc cōpetit perfectis in illa specie, vt apparet ex. 4. Metho. & ex. 2. de anima. Sed in humana specie videmus generationem similis ex simili, ergo hoc maxime cōpetebat statui innocentie, in quo natura fuit, & fuisset si durasset in maxima perfectione. Item agens & passum oportet esse approximata ad hoc vt agant: Sed in habentibus distinctionem sexuum masculus habet rationem agētis in generatione: femina verò rationē patientis secundū aliquid ad vtroq; decium, quod generali nomine vocamus semen, ergo ad generandum oportebat esse approximationem secundum coniunctionem sexuum, & commixtionem seminum.

Alioquin in operibus diuini fuisset aliquid frustra, qui masculum & feminam fecit eos, vt dicitur Gen. 1. & 2. distinctio enim sexuum ad illud solum ordinatur.

7 **S**ECUNDUM patet, vbi agens non caret debita intentione, neq; actus debet carere debito fine. Sed in statu innocentie non conuenissent nisi intentione generandi & hæc sola intentio pro statu illo fuisset debita, ergo nūquam actus copulæ eorum fuisset frustratus suo fine scilicet prole. Minor probatur, quia intentio debita absque omni culpa ex parte vtiusq; coniugis non potest esse in actu matrimonii nisi pro generatione prolis, vel pro remedio concupiscentie contra alterius lapsum qui posset exurgente concupiscentia contingere, de quo si timeretur deberet alter alteri reddere debitum etiam non petenti, neq; esset ex aliqua parte culpa. His autē duobus exclusis semper in petente debitum est aliqua culpa saltē venialis. In statu autem innocentie non erat virgens concupiscentia propter quam deberet vnus timere de lapsu alterius. Omnes enim motus appetitus sensitui plene obedissent rationi, ergo non poterat tunc esse debita intentio conueniendi ad actum matrimonii nisi intentio generandæ prolis. Et ideo dicit Aug. quod illud quod est infirmis in remedium fuisset sanis in officium. Videmus etiā in brutis quod non coeunt nisi certis temporibus, & tunc ad generandum & multo amplius fuisset in hominibus natura optime ordinata.

8 **A**D primum argu. dicendum q̄ in statu innocentie fuisset maior delectatio in actu carnali quā modo comparando delectationē delectationi secundū se, sed secundum proportionē ad rationē fuisset minor, quia ratio fortior in suo actu persistens delectationi penitus dominaretur. Superabundantia autē & defectus in actibus moralibus sumuntur secundū proportionem ad rationē, & nō secundum quantitatem absolutā, sicut fit in naturalibus secundū proportionem ad vim naturalem. Vnde cibus qui esset moderatus vni esset superfluus alii, vt patet ex. 2. Ethic.

9 Ad secundum dicendum quod semen, vt dicitur. 15. de animalibus, est superfluum sed quo indiget. Superfluit quidem quo ad actū nutritiuū. Sed natura indiget eo ad actum generatiuū. Et ad vtroq; poterat sumi sine vicio quantum necessarium erat. De aliis autem superfluitatibus norandum quod quedam attestantur defectum naturæ vt putredines & sudores, & huiusmodi quæ non fuissent in statu innocentie. Quædam verò ostendunt perfectionem naturæ vt semen, & egestiones quæ secundum cursum naturalem tantò melius fuissent quātò perfectior & robustior est natura, & tales fuissent in primo statu absq; vlla inordinatione & fœditate.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum in statu innocentie in actu matrimonii fuisset amissio virginittatis.

Tho. 1. q. 98. ar. 2. ad quartum. Et. 2. 1. q. 152. ar. 1.

Secundo queritur vtrum in actu matrimoniali fuisset amissio virginittatis. Et videtur quod nō, quia vbi manet integritas carnis manet & virginittas, sed post actum carnalem mansisset in muliere integritas carnis, ergo &c. Minor probatur per illud quod dicit Aug. 14. de ciu. Dei quod sine corruptione integritatis infunderetur maritus in gremio vxoris.

2 Item in illo statu nihil fuisset pœnale. Sed amissio virginittatis in muliere nō est sine pœna cum fiat per diuisionem continui cuius sensus causat dolorem, ergo &c.

3 **I**N contrarium arguitur, quia secundum naturam duo corpora non possunt esse simul, sed si fuisset commixtio sexuum, vel partus, manente virginittate, duo corpora fuissent simul (scilicet organa sexuum, & proles cum corpore matris,) ergo &c.

4 Item virginem concipere & parere videtur fuisse priuilegium Mariæ. Sed illud non debuit alteri comunicari vt videtur, ergo &c.

5 **R**ESPONSTIO. Hic est duplex modus dicendi. Primus est quod ad perfectionem virginittatis duo cōcurrunt scilicet integritas carnis, cum integritate mentis.

Quorum alterum scilicet integritas mentis honorabilius est, reliquum verò essentialius. Dicendum ergo quod in omni concubito soluitur virginittas quantum ad integritatem carnis, etiam in primo statu. Sed mentis integritatem contingit solui dupliciter, vel quātum ad habitum, & sic soluitur per illicitum cōcubitum qui tollit habitum castitatis, vel quantum ad actum, & sic in statu post peccatum soluitur, etiam per concubitum matrimoniale eo quod propter vehementiam delectationis ratio in ipso actu absorbetur. In primo verò statu neutro modo integritas mentis soluta fuisset, sed sola integritas carnis cui præponderasset fecunditas prolis.

6 Sed hæc opinio videtur in duobus deficere. Primum est, quia male accipitur integritas mentis quæ ad virginittatem requiritur. Illa enim est firmissimum propositū abstinentiæ a delectatione quæ consistit in venereis. Et hæc integritas se habet formaliter in virginittate, ipsa autē immunitas vel inexperientia talis delectationum se habet in virginittate materialiter. Neutrum autē horum potuit saluari in actu matrimonii. Vnde male accipiunt integritatem mentis pro persistētia rationis in actu suo. Absorbetur enim iudicium rationis in somno, & in multis ægritudinibus ratione quorū nihil deperit cuiusq; virtuti. Persistētia enim rationis quæ requiritur ad virtutem est quod ratio importet actum debitum, & non diuertat ad aliquid contrarium virtuti quæ existente nō soluitur virtus neq; quo ad habitum, neque quo ad actum.

7 Secundo deficit prædicta opinio quia dicit quod in statu innocentie soluta fuisset integritas carnis. Si enim per integritatem carnis intelligatur integritas mēbri corporalis cum talis nō soluitur sine diuisione aliquarū partium illius membri, quæ est in sentientibus non est sine dolore, sequeretur quod passio animalis fuisset in statu innocentie cuius oppositum ostensum fuit prius.

8 Ideo est secundus modus quem isti iudem ponunt in alio loco videlicet quod mulieres in statu innocentie cōcepissent & peperissent sine amissione virginittatis. Quod probant sic, illud quod ad dignitatem naturæ pertinet non defuisset in statu innocentie, sed virginittas maxime pertinet

Th. in sum. 20.

Th. in sum. 1. part.

tinet ad dignitatem naturæ humanæ. Est enim angelica portio cui promittitur fructus centesimus, ergo in statu innocentie nunquã amitteretur. Qualiter autem hoc esset possibile dicunt sicut prius quod ad perfectionem virginitatis concurrunt integritas mentis & carnis. Et de integritate mentis dicunt vt prius. Sed de integritate carnis dicunt quod non fuisset soluta in statu innocentie per concubitum, sed fuisset ibi sola membrorum dilatatio sine alia qua corruptione siue diuisione, vnde Aug. 14. de ciu. Dei dicit quod ita potuit in vtero coniugis salua integritate femine generalis virile semen immitti sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus cruoris menstrui emitti, vt enim ad pariendum non doloris gemitus sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret, sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam virinque coniungeret.

9. Istud autem non valet, quod enim primò dicitur quod virginitas pertinet ad dignitatem naturæ, absolute forte non est verum, quia nulla priuatio boni conuenientis naturæ est bona secundum se (alioquin naturalis inclinatio esset ad malum, cum illud sit malum cuius priuatio est bona) contingit tamen eam esse bonã propter aliud in quantum promouet ad maius bonum quam sit illud quod priuat, virginitas autem est priuatio actus generationis qui est conueniens naturæ, & intentus ab ea ad conseruationem speciei, ergo non est licita secundum se, neque bona, sed solum in quantum promouet ad maius bonum, & hoc modo in statu naturæ corruptæ: licita est virginitas qua quis abstinere a delectationibus venereis vt liberius vacet diuinae contemplationi à qua impeditur homo iunctus matrimonio, vnde Apostolus. 1. ad Corin. 7. Mulier in nupta, & virgo cogitat que domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu, que autem nupta est cogitat que sunt mundi, quomodo placeat viro, sed in statu innocentie nullam retardationem habuisset homo à contemplatione diuina sum ex matrimonio, & ideo tunc non fuisset licita virginitas, iterum dato quod fuisset licita, non tamen fuisset possibile virginem concipere, aut parere secundum cursum naturæ, quia virginitas est inexperientia delectationum venerearum. Sed conceptus secundum viam naturæ non est nisi cum experientia earum, ergo contradictionem implicat virginem concipere modo naturæ.

10. Male etiam accipiunt illud quod est materiale in virginitate, non enim hoc est integritas corporalis membri, imò omnino per accidens se habet ad virtutem. Materia enim virtutum moralium est aliqua passio anime & non illud quod pure pertinet ad naturam corporis, propter quod si absque venerea delectatione in muliere violetur signaculum corporalis membri aliquo casu non magis preiudicat virginitati quam si ledatur manus aut pes. vnde Aug. 1. de ciu. Dei dicit quod membra illa possunt diuersis casibus vulnerata vim perpeti & medici quandoque saluti opitulantes hæc ibi faciunt que horret aspectus. Obi fetrix enim cuiusdam virginis manu velut virginitatem explorans dum inspiceret, perdidit & subdit, non opinor quemquam tam sit ulte sapere vt huic perisse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate quamuis membri illius integritate iam perditã. Igitur materia virginitatis non consistit in integritate membri corporalis nisi per accidens precipue cum contingat virum sine muliere virginitatem amittere, in quo casu nõ est necesse aliquam violationem membri corporalis fieri, propria igitur materia virginitatis est inexperientia delectationis que consistit in feminis resolutione: que si fiat ex mentis proposito & maxime per concubitum, soluit virginitatem. Pater igitur quod in actu matrimoniali in quolibet statu soluitur simpliciter virginitas.

11. Ad argu. in oppositum dicendum quod dato quod in statu innocentie non fuisset fracta integritas membri corporalis in muliere, sed sola dilatatio, tamẽ soluta fuisset virginitas propter experientiam delectationis ex commixtione sexuum & feminum.

12. Ad secundum dicendum quod amissio virginitatis non fuisset per dolorosam diuisionem continui, sed per commixtionem sexuum & feminum concomitante dilatatione membrorum.

Tertio queritur, vtrum in statu innocentie genuissent pueros in vtroque sexu. Et videtur quod non, sed solum in sexu masculino, quia de possibilibus natura semper facit quod melius est, nisi sit impedita, sed sexus masculinus potior est feminino, sicut agens præstantius est passio. Ergo in statu innocentie quo natura nullo modo fuisset impedita pueri in solo masculino sexu fuissent geniti.

2. Item mulier est mas occasionatus (vt dicitur, 16. de animalibus) omne autem occasionatum cum non sit per se intentum est ex aliquo defectu proueniens. Sed in illo statu nullus fuisset nature defectus, igitur &c.

3. IN contrarium est, quia sicut natura optime fit in futura, sic optime processisset, sed instituta fuit à Deo in vtroque sexu, & pari numero, quia in vtroque vnus, ergo eodem modo processisset (sicut et in vtroque sexu & in pari numero.)

4. RESPONSO. Dicenda sunt duo. Primum est quod in vtroque sexu fuisset procreatio puerorum. Secundum est quod in equali numero sexuum. Primum patet, quia multiplicatio generis humani nõ fuisset solum per primos parentes, sed etiam per pueros ab eis genitos. Alioquin pueri ab eis geniti fuissent minus perfecti quã moderni. Sed multiplicatio que fit per propagationem requirit distinctionem sexuum vt dictum est supra, igitur &c. Secundum patet, quia in illo statu omnia fuissent optime ordinata, & secundum rationem: sed recta ratio dicit quod vna sit solum vnus & conuersio, ergo sic fuisset in statu innocentie: sed tunc omnes vacassent generationi, quia virginitati prælatã fuisset fecunditas ergo tot fuissent viri quor mulieres, neque plures, neque pauciores.

5. Sed propter argumenta sciendũ est, quod sicut vult Phil. 1. de animalibus, generatio mulieris contingit ex hoc, quod semen viri non potest digerere materia mulieris vltima digestionem, vt in sexum perfectum eam adducat. Huius autem impotentie triplex potest esse causa. Vna, quia calor est diminutus in femine propter indigestionem, vt ante tertium septennium, in quo viri vt plurimum feminas generant, & hæc causa vt puto non fuisset tunc, quia non anticipasset tempus in quo fuisset perfecta generatio.

6. Alia causa est ex virtute imaginatiua, que est immutabilia corporis, vt ad imaginationem alicuius terribilis totum corpus tremat & concutitur. Et ob hoc filii nascuntur similes quandoque illis quos parentes imaginantur in actu conceptionis. Exemplum Gen. 30. de vario colore virgatum Jacob, vnde refert Hier. quod scriptum tepperi in libro Hippocratis, quod quedã mulier pro suspitione adulterii discretè erat puniendã, cum pulcherrimum filium genuisset vtrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus soluisset questionem, monens querere ne forte aliqua talis pictura esset in cubiculo, qua inuenta, mulier à suspitione liberata est. & Quintilianus ad liberationem matronæ que pepererat Æthiopem, hanc dicit esse conceptionem naturam, vt refert Hierony. de Hebraicis questionibus. Et hæc causa potuit esse potissime in statu innocentie, vt filii nascerentur in hoc sexu vel in illo secundum voluntatem parentum propter maximam obedientiam corporis ad animam in statu illo.

7. Tertia causa est ex aliquo principio extrinseco, quia parua immutatio ventis, vel temporis facit ad variationem sexus, vnde dicitur expertum esse apud pastores quod quando fiat ventus septentrionalis concipiuntur mares. Et quando fiat ventus meridionalis, concipiuntur feminae, quia vetus ille humidus est. Et hæc causa potuit etiam esse in statu innocentie. Potuerunt enim sagacius obseruare quam nos.

8. Ad primum argumentum dicendum quod natura agit propter finem, & nisi impediatur facit quod melius est non absolute, sed vt expedit fini. Nunc est ita quod licet sexus masculinus sit absolute melior sexu muliebri, ad conseruationem tamen speciei ad quam finaliter ordinatur generatio, melius est, imò necessariũ est esse vtrumque sexum.

Ad secundam dicendum q̄ generatio feminæ occa-
sionata est quando euenit ex defectu caloris naturalis in
feminæ, & solum respectu nature particularis non vniuer-
salis, & hoc non fuisse in statu innocentie: quando autē
euenit reliquis duobus modis supra notatis, non est occa-
sionata, sed intentā.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in statu innocentie pueri fuissent
nati perfecti secundum corpus.

Thom. I. q. 99. ar. 1.

QVARTO queritur, vtrum pueri fuissent nati
perfecti secundum corpus. Videtur quod sic,
quia August. dicit de baptismo paruulorum lib. primo, q̄
infirmas corporis attestat infirmitati mentis, sed tunc
non fuisset aliqua infirmitas mentis, ergo nec corporis.

2. Item principium & finis correspondent, sed tunc
non fuisset aliquis corporalis defectus pertinens ad finē
vitæ, puta senectus vel a liquid tale, ergo nec aliquis defe-
ctus pertinens ad pueritiam: fuissent igitur mox nati
perfecti secundum corpus.

3. IN CONTRARIUM est, quia quædam perfe-
ctio corporalis est perfecta quantitas, sed illam non ha-
buissent pueri in sua natiuitate, quia vterus matris non
sufficeret, ergo neq̄ alius.

4. RESPONSIÓ. Perfectio corporalis est duplex:
vna secundum quantitatem, secundum quā dicimus adultū
perfectum esse, sed non paruulum. Alia est secundum qua-
litatem, secundum quā dicimus illum esse perfectum, cuius
membra possunt sufficere in operationes sibi deputatas
& secundum vtramq̄; harum perfectionū potest aliquid
dici perfectum, vel simpliciter quantum congruit speciei,
vel supposito in tali specie, vel quo ad tempus quantum con-
gruit non simpliciter, sed pro tali tempore. Hoc supposito
dicendum quod pueri nati non fuissent simpliciter perfe-
cti secundum corpus quantum congruebat speciei, vel sup-
posito, fuissent tamen perfecti quantum congruebat pro
illo tempore. Primum patet dupliciter. Primum, quia ubi
est eadem natura, idem q̄ modus acquirendi naturam, ibi
est idem modus naturalis perueniendi ad perfectionem
nature: sed in statu innocentie & in hoc nostro fuisset,
& fuit eadem natura & idē modus acquirendi eam (quia
per generationem, quæ est per commixtionem feminum
& sexuum, vt visum fuit supra) ergo fuisset idem modus
perueniendi ad perfectionem nature, modo autem pueri
non statim atq̄ nati sunt habent perfectionem corporis,
sed eam processu temporis acquirunt, ergo &c. Secundo
quia iudicandum est de conditione natorum secundum
conditionem status, sed in illo statu licet non habuissent
terminum vitæ, habuissent tamē vitæ initium, ergo simi-
liter licet non habuissent defectus inducentes vitæ termi-
num, vt sunt senectus & agridudines, habuissent tamen
defectus concomitantes vitæ initium, vt sunt imperfecta
quantitas, & ineptitudo membrorum ad perfectas opera-
tiones.

5. Secundum principale patet, quia defectus perfectio-
nis congruentis pro tempore, iam habet rationem mali,
vel prouenit ex errore nature: sed in statu innocentie ni-
hil fuisset habens rationem mali, neq̄ fuisset aliquis error
nature, ergo &c.

6. Ad primum argumentum dicendum est q̄ infirmis-
tas corporis in pueris duo complectitur, defectum vltus
membrorum, & hoc congruit infirmitati mentis, quæ est
carentia scientiæ, virtutis perfectæ, quæ infirmitas in pri-
mo statu fuisset in pueris: complectitur etiā quandam pec-
nam in fletu & esurie, & hæc secuta est ex culpa, nec fuisset
in statu innocentie, & de hac loquitur Aug. vt per ea
patet quæ præmittitur, q̄ pueri iacentibus iuxta se mam-
mis, magis possunt esurientes flere quam fugere.

7. Ad secundum patet solutio ex dictis. In statu enim
innocentie fuisset homo generatus, sed nō corruptus. Et
ideo potuit habere defectus pueriles qui sequitur gene-
rationem, sed nō seniles qui ordinantur ad corruptionē.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum filij in statu innocentie fuissent nati
in iustitia originali.

Thom. I. q. 100. ar. 1.

QVINTO queritur, vtrum fuissent nati in iustitia ori-
ginali. Videtur quod nō, quia iustitia originalis
videtur fuisse per gratiam: quia nō potuit amitti nisi per
culpam: sed grana non est per transfusionē a parente in
prolem, sed est a Deo per infusionem, ergo &c.

2. Item Hugo de S. Victore dicit q̄ homo ante pecca-
tum genuisset quidē filios sine peccato, sed nō patere in
iustitia heredes, & sic idem quod prius.

3. IN CONTRARIUM est, quia secundū Ansel-
mum, qualis ipse fuit, tales filios genuisset: sed Adā iusti-
tiam originalem simul & gratiā habuit, ergo vtramq̄ pue-
ri geniti habuissent.

4. RESPONSIÓ. Originalis iustitia accipitur du-
pliciter. Vno modo largē, prout comprehendit rectitudi-
nem voluntatis ad deum, & debitā subiectionē corporis,
& virtū sensitiuarū ad animā, siue ad rationē. Alio modo
accipitur magis stricte: videlicet pro sola subiectione cor-
poris ad animā, & debito ordine virtuum sensitiuarum ad
rationē: rectitudo enim voluntatis ad Deū in qua consistit
meritū hominis, quod est cū gratiā, magis pertinet ad ius-
titiā gratuitam, q̄ ad originalem. Et fuit in primo homi-
ne quasi radix originalis iustitiæ, ex eo enim q̄ ei inerat
rectitudo voluntatis ad Deum, inerat etiā ipsi debita sub-
iectio corporis ad animā, & virtuum sensitiuarū ad ratio-
nem: vnde amissa prima rectitudine, amissa fuit & secun-
da tanquam ex ea dependens.

5. Hoc supposito videnda sunt tria. Primum est, an in sta-
tu innocentie pueri fuissent nati in iustitia originali tras-
fusa. Secundū est, an fuissent nati cū iustitia gratuita. Ter-
tium est, vtrum fuissent confirmati in vtraq̄, an non.

6. Quantum ad primum dicunt quidā q̄ pueri fuissent
nati in iustitia originali transfusa, quod probant sic: ois
proprietas corporalis cōsequens totā speciem transfundi-
tur a parente in prolem, sed iustitia originalis erat huius-
modi, ergo &c. Maior patet, quia proprietas consequens
speciem si non sit corporalis, non oportet q̄ transfunda-
tur: sed quandoq̄ infunditur vel cōmunicatur, sicut patet
de intellectu qui est potentia animæ, consequens tamē to-
tā speciem humanā, ipsum enim nō transfundunt, nec
generant parentes. Item si sit corporalis, sed non conse-
quens totā speciem, nō necessario transfunditur. Non
enim semper leprosus generat leprosum, sed accidit: sed
proprietas corporalis consequens totā speciem transfundi-
ditur. Minor patet, quia iustitia originalis fuit subiectio
corporis respectu animæ, & obedientia virtuum inferiorū
ad rationem, & ita fuit proprietas corporalis, fuit etiā
cōmunis toti speciei: quia fuit collata a deo pro se & toti
posteritati, cuius signū est quia eius oppositū scilicet pec-
catum originale redundat in omnes, ideo &c.

7. Sed illud non valet: quia proprietas corporalis etiā
totā speciem concomitans non transfunditur si sit me-
re donum dei, & nō proprietas naturalis, quia donū Dei
nō est ex transfusione nature: sed iustitia originalis quan-
uis esset conditio corporalis, erat tamen mere donū dei,
& non proprietas naturalis: alioquin mansisset post pec-
catum, sicut natura mansit cum suis naturalibus proprie-
tatibus, ergo iustitia originalis non fuisset transfusa a pa-
rente in prolem, sed fuisset proli a deo infusa, sicut paren-
tibus fuit a Deo gratis collata.

8. Quantum ad secundum dicendum q̄ pueri fuissent
nati cum iustitia gratuita, non quidē transfusa per origi-
nem, sed a Deo gratis infusa. Quod enim nō fuisset tras-
fusa per originem, patet: quia non potest esse conditio na-
turalis vt cum natura transfundatur, sed semper do-
num dei est (vt ipsum nomen sonat) fuisset tamen omni-
bus infusa, quia effectus non ponitur: nisi posita sua cau-
sa conseruatiua, sed iustitia gratuita fuit causa conseruati-
ua iustitiæ originalis: ex rectitudine enim voluntatis ad
deum in qua consistebat iustitia gratuita, emanabat recti-
tudo virtuum sensitiuarū inferiorum ad rationem, in qua
consistebat originalis iustitia, ergo &c.

9. Tertium patet, quia effectus non est potior sua
causa: sed filij cōparantur ad patres, vt effectus ad causā:
ergo cū patres quādiu genuissent filios, nō fuissent cōfir-
mati quin potuissent peccare, & vtramq̄ iustitiam amitte-
re, fortiori ratione nec filij. Quod autē patres quando

X 5 genu

q. 1 huius
dist.

geniissent, non fuissent confirmati, patet: quia status confirmationis est in visione dei per essentiam, & eorum que ad videndum pertinent, ad que statim sequitur immortalitas corporis, qua non potest mori, que non fuissent: in statu innocentie pro tempore quo geniissent, sed fuissent pro tempore quo translati fuissent ad gloriam, ubi non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in caelis.

10 AD Primum argumentum dicendum est quod iustitia originalis fuit per gratiam causaliter, quia gratis data fuit primo homini pro se & sua posteritate, & conservare eam potuit sibi & aliis, conservando rectitudinem iustitie gratuite: non fuit tamen essentialiter ipsa gratia gratum faciens: quia illam recuperavit homo per penitentiam: non autem originalem iustitiam: vtraque tamen fuit donum dei infusum a deo, non transfusum per hominem.

11 Per idem patet solutio ad secundum, quia licet parvuli habuissent iustitiam originalem sicut & parentes, non tamen habuissent eam per transfusionem, sed per infusionem & sic non fuissent paterna iustitie haeredes.

12 ARGUMENTUM in oppositum solum concludit quod parvuli nati fuissent cum iustitia originali, quod concessum est.

Sententia huius distinctionis. XXXI.
in Generali & Speciali.

VIDENS igitur diabolus, Superius determinavit Magister conditionem nature creature rationalis. Hic vero determinat de casu eius per peccatum. Et dividitur in tres. Primo determinat de peccato primorum parentum. Secundo determinat de peccato quod ab eis committitur. Tertio ibi de quolibet actuali peccato. Secunda in principio. 30. dist. ibi in superioribus insinuatum est.

Tertia in principio. 33. dist. ibi est praedicta de peccato. Prima in tres. Primo determinat lapsum hominis primi quantum ad deceptionem extrinsecam. Secundo quantum ad intrinsecam. Tertio per comparisonem ad deum pernitentem. Secunda in principio. 22. dist. ibi hoc diligenter videtur. Tertia in principio. 23. ibi praeterea quartum sollet. Prima est praesentis lectionis & dividitur in tres. Primo determinat modum tentationis primi parentis. Secundo in generali ostendit modum cuiuslibet tentationis. Tertio ex modo tentandi concludit perpetrationem peccati. Secunda ibi, porro scidum est. Tertia ibi, homo igitur ex sola tentatione. Primo ostendit tentationis modum. Secundo tentationis instrumentum. Tertio tentationis progressum. Secunda ibi, Sed quia illi per violentiam. Tertia ibi, Tentatio autem hoc modo. Tertia pars in qua perpetratione peccati concluditur, dividitur in tres. Primo ostendit peccati remissionem. Secundo ea explicat. Tertio remouet quaedam dubia. Secunda ibi, Praeterea angelica natura. Tertia ibi, Illud quoque notandum. Haec est sententia literae in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & primo proponit quod diabolus inuidens homini per hoc quod videbat eum per obedientie humilitatem ad caelestem gloriam (a qua electus est, & per superbiam corruit) posse descendere, & quod nihilominus peccare poterat, tentavit eum, & quodammodo vires suas experiens in debiliore parte sexus (scilicet in muliere) tentatione aggressus est. Et postea dicit quod diabolus volens dolo supplantare quod virtute & violentia nequibat apparuit mulieri non in sua specie (ne cognosceretur aperte) neque in qualibet alia specie, ne nimis eius status occulta caueri non posset, sed permixtus est apparere in tali specie qua, scilicet de facili malitia eius deprehenditur, scilicet in specie serpentis, congruebat autem species tentationi propter astutiam per quem serpentem tanquam instrumentum diabolus loquutus est, venit serpens neque verba intelligebat, sed a diabolo movebatur (sicut a serpe Baalam a bono angelo) quem loquentem mulier videns credidit loquenti officium ipsum a Deo recepisse. Postea dicit quod tentatio hoc modo facta est, quia scilicet tentator verba sub interrogatione proponit, ut scilicet responsione disceret qualiter sibi procedendum foret, unde cum statim mulier dubitando dicit ne forte &c. Respondit ipse mendaciter excludendo, nequaquam moriemini, & ad maiorem mulieris deceptionem praemium promisit promittendo ea quae naturaliter appeteret (scilicet vitam, & perfectio-

nem scientiae) scientes bonum & malum, in qua tentatio ne triplici genere peccati tentavit scilicet de gula quoad cibum, de vana gloria quoad promissionem diuinitatis, de auaritia, quoad promissionem scientiae. Postea dicit duas tentationis species esse, vnam exteriorem, illam interioriorem. Exterior vero est quando extrinsecus & visibiliter nobis malum suggeritur. Interior vero quae inuisibiliter perficitur ab aduersario. Et haec est duplex ab hoste & sine peccato, alia a carne quae non fit sine peccato, quae carnis tentationem dicit esse difficiliorem. Postea ex hoc dicit quod homo corruit grauiter quia exteriorem tantum tentatus succubuit tentanti, quia tamen tentatione cecidit, ideo reparatorem habuit, non sic autem demon, quia neque per alium cecidit, neque in eo tota natura corrupta fuit. Vltimo quia posset dubitari quando mulier diuinum praecipium receperat, dicit quod per virum peruenerat ad mulierem. Et si quaeratur vterius quomodo loquebatur mulier quae non didicerat dicit, quod a deo loquendi officium acceperat. Et in hoc terminatur, &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum tentatio sit peccatum.

Thom. 1. q. 114. ar. 3. & 1. 2. q. 20. ar. 4.

Circa distinctionem. 21. Primo quaeritur, vtrum tentatio sit peccatum. Et videtur quod non: quia nullus peccat in eo quod vitare non potest: sed nullus potest vitare quin quandoque tentetur, igitur &c.

2 Item secundum Greg. tentatio cui non consentitur non est vitium, sed materia exercecendi virtutis: sed est necesse tentationi consentire, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. 1. de Ciui. dei, quod nonnullum vitium est cum caro concupiscit aduersus spiritum: sed in hoc consistit tentatio carnis, ergo ipsa semper est peccatum, & idem iudicium videtur esse de omnibus aliis.

4 **RESPONSIO.** Videnda sunt tria. Primum est quid sit tentatio, & quae sunt de ratione tentationis. Secundum erit cui conueniat tentare. Et ex his apparebit tertium, scilicet quae tentatio sit peccatum, & que non.

7 Circa primum est intelligendum quod tentatio, sicut nunc loquimur, & contra qua oramus dicentes, & ne nos inducas in tentationem, non est aliud quam motus vel actus natus inclinare hominem ad aliquod illicitum. Quod patet: quia sicut se habet tentatio in speculabilibus ad verum & falsum, sic in operabilibus ad bonum & malum, licitum & illicitum: sed in speculabilibus non est tentatio nisi cum per apparentem rationem concluditur falsum natum inclinare intellectum ad errandum: syllogismus enim tentatiuus est apparens, & non existens: & sic ad sumendum experimentum de scientia, ergo in operabilibus non est tentatio nisi per actum vel motum natum inclinare voluntatem ad aliquid illicitum, & fit ad sumendum experimentum de bonitate vel malitia. Vtrobique autem tria sunt de ratione tentationis. scilicet actus defectuosus, experientia dubia, & quod vtrumque sit de intentione tentantis, ut patet cum vnus homo tentat alium.

6 Ex hoc apparet secunda, scilicet cuius sit tentare, clarum enim est quod proprie Deo non competit, tum quia actus eius non potest esse defectuosus, tum quia nihil est sibi dubium de quo per tentationem sumat experimentum. Et ideo dicitur Iac. 1. quod Deus intenterator est malorum, ipse enim neminem tentat. Quod autem dicitur Gen. 22. Tentavit Deus Abraham, per quandam similitudinem accipiendum est, eo quod praecipr factum Abraham de filii sui immolatione, manifestauit eius obedientiam non Deo cui praecognita erat, sed nobis quibus aliter fuisse ignota, & ita secundum quid fuit ibi secunda conditio tentationis, non autem simpliciter. Similiter tertia, intendebat enim Deus manifestare nobis eius obedientiam, quae Abraham fuit ad meritum, nobis autem ad exemplum.

7 Similiter nec mundo competit tentare proprie, quia mundus seu res mundi se habent solum obiectiue in tentatione. tentare autem est proprie proponere obiectum, actum vel motum illicitum, & intendentis finem quod mundo non conuenit.

Item